

ARTICULUS I.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

VI. Secundas Nuptias Ecclesia nunquam improbat, et quidem ex Apostoli doctrina: *I. Corinth. VII. r. 39. et ad Rom. VII. v. 2.* Attamen non defuere hæretici, qui secundas nuptias damnarent, uti Montanistæ: qua de re Tertullianus *de Monogamia cap. 1.* Catholicos per sarcasmum psychicos, hoc est *carnales*, et *incontinentiae deditos* appellat. Novatiani quoque eandem hæresim amplexati sunt, uti constat ex Syn. Nicæna, que *Can VIII.* Catharos, sive Novatianos ea conditione recipiendos decrevit; scilicet *pre omnibus eos scriptis convenit profiteri, quod Catholice, et Apostolica Ecclesie Dogmata suscipiant, et sequantur; id est et bigamis se communicare, et his, qui in persecutione prolapsi sunt.*

VII. Legibus Romanorum olim vetitum mulieri intra annum luctus secundo nubere; atque adeò mulieres hanc legem infringentes infamia notabantur, nec levibus multabantur poenis: *Leg. I. et II. Cod. de secund. Nupt.* Porrò jure Decretalium mulier intra annum luctus nubens nulli pœnæ fit obnoxia, neque ullam infamiam notam contrahit: *Cap. 4. de Secund. Nupt. (**)* Id quod pro Hispania nostra confirmavit Henricus III. Castellæ Rex *Leg. III. Tit. I. Lib. V. Novæ Recop. (*)*

VIII. Negandum tamen non est, Ecclesiam secundas, ac potiori jure ulteriores nuptias, numquam non agnoscisse tanquam incontinentiae speciem præseferentes, ipsosque nuptias iterantes eo nomine haud parùm suspectos. Quinimmo Patres nonnulli, præsertim Greci, opprobriosis quibusdam titulis trigamiam, ulterioresque nuptias donarunt, uti speciosi adulterii, honestæ fornicationis vitæ porcinæ &c. Athenagoras *Legat. pro Christ.* Auctor operis imperfecti in *Matth. Hom. XXXII.* Nazianzenus *Orat. XXXI. cap. 3.* Tum Concilia sancitis Canonibus publicam nuptias iterantibus penitentiam inflixerunt: uti Neocæsareense *Can. III.* Quea pœna licet securis temporibus ablata sit, adhuc tamen Ecclesia ostendit non æquè primas, ac secundas, ulterioresque nuptias sibi probari; dum illas duntaxat, non autem has à Sacerdote speciatim benedici jubet: *Cap. 3. de Secund. Nupt.* Tum Alexander III. *ibid. Cap. 1.* Capellanum, qui benedictionem secundis nuptiis impenderat, ab officio, beneficioque suspensum, cum litterarum Episcopaliu[m] testimonio ad Sedem Apostolicam destinari præcepit. (***) Id confirmavit Conc. Viennense, et Syn. Prov. Salmant. an. 1335. *Cap. XI.* ex eo quod Sacramentum hujusmodi iterare non liceat. (*) Hæc quidem pœna, et ad Sedem Apostolicam remissio hodie in usu non est; passim tamen recentiores libri Rituales secundis nuptiis benedictionem haud impertiendam præscribunt: *Rituale Romanum de Sacram. Matrim.* (**) Sed uniuscujusque loci consuetudo servanda est. (*)

(**) IX. Quibusdam tamen spectatissimi nominis virorum viduis Hispaniarum Ecclesia secundas nuptias prohibere decrevit, ea fortassis de causa, ut honestam præcedentis mariti memoriam illasam servarent. Syn. Tolet. I. *Can. XVIII.* Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum viduas continentes perseverare jussit sub pœna excommunicationis ad extremum usque vitæ tempus, ita ut bigamiae legem à viris ad uxores transtulerint. Syn. Tolet. XIII. *Can. V.* Regum etiam viduis totam alterius conjugii spem admetit. *Quis enim, ait, aequanimiter ferat defuncti Regis conjugem etiam Successoris alieno postmodum connubio uti?.... Quid ergo si moriuntur Principes, numquid inhonorandas relinquunt sui corporis partes?* Quod quidem consuetudine potius, quam legibus, ratum hodieum

obtinet. Syn. Cæsaraugust. III. an. 691. *Can. V.* prædictam Toletanæ Sanctiōnem confirmat; quin etiam et in Cœnobio Virginum mancipandam esse censuit Regis Viduam, ut *infra claustra Monasterii jugi sedulitate persistens, atque Sanctimoniale vitam peragens, de Regno temporali.... ad Regnum aeternitatis mereatur pervenire.* (*)

CAPUT UNDECIMUM.

DE CONSTRUENDIS, ÆDIFICANDIS, ET REPARANDIS ECCLESIIS,
ET ALTARIBUS.

Nominis Ecclesia etymon, et usus.

I. *Ecclesia* Græcum nomen est ab *erocare*. Sic dicebatur Athenis cœtus convocatus ad audiendum de Reip. negotiis. Meritò igitur cœtus fidelium Apostolorum, vel Apostolicorum virorum præconio ad Christi fidem evocatorum *Ecclesia* dictus est. Porrò eadem vox æquè in veteri, ac in novo Testamento metonymice usurpari consuevit; pro loco scilicet, quod evocati convenienter. Sic Judith IV. v. 21. *Intra Ecclesiam oraverunt.* Et I. ad Corinthios XI. v. 18. et 22. *Convenientibus robis in Ecclesiam.... aut Ecclesiam Dei contemnitis.* Hoc sane nomine ad sacras ædes designandas plerumque, ac præcipuè fideles usi sunt, (**) uti colligere est ex pluribus Syn. Illiberit. et Tolet. I. Canonibus. (*)

ARTICULUS I.

VARIA NOMINA, QUIBUS OLIM ECCLESIAE NUNCUPATAE SUNT.

II. Veruntamen aliis quoque nominibus antiquitus quam sèpissimè donatae sunt. Ac 1. dictæ sunt *Dominica*, sive *Domus Dei*. Hinc celebris à Constantino, ejusque filio Constantio Antiochiae ædificata Ecclesia *Dominicum aureum* nuncupata est: Hieron. in Chron. *Olymp. CCLXXVI. an. 3.* Eadem adpellatio in veterum Conciliorum Canonibus frequenter occurrit.

2. *Oratoria*, vel *Domus* prædicationis. Sic Eusebius de laudib. Constantini *Cap. 17. Qui Deo bellum indixerant Oratoria ejus.... ab ipsis fundamentis everterunt.* Huic adde Sozomenum *Lib. II. cap. 5.* Porrò aliquando *Oratoria* speciatim dicta sunt privata sacella faciendis precibus, non autem Missis celebrandis destinata: (**) id colligas ex pref. Synod. Tolet. I. *Can. V. et IX.* (*) Verùm et in his securis temporibus, exceptis solemnioribus festis diebus, ex Episcopi venia Missæ celebrari coeperunt: id quod sèculo VI. jam obtinuisse colligitur ex Concilio Agath. *Can. XXI.*

3. *Basilicæ*, et *Regiae*. Basilicæ dictæ sunt, vel ob magnificentiam, vel quod Romanæ aulae Basilicæ in Ecclesiæ essent conversæ. Qua de re hæc vox apud Patres IV. et V. sèculi frequenter occurrit. Tum voce Regiam utitur Eusebius de laudibus Constantini *cap. 11. Interius vero Regiam ad summam erexit altitudinem.* (**) Verùm in Hispania ad sèculum usque VI. latuisse videtur hæc vox *Basilica*, donec eam usurpare cœpit Synod. Tarragon. an. 516. *Can. VII. et VIII.* ac dein Ilerdens. an. 546. *Can. III.* eaque frequenter usi sunt Hispaniarum Patres in hujus sèculi Conciliis; ejus tamen post sèculum VI. ferè penitus obliti, Ecclesiæ vocabulum recuperare maluerunt. (*)

4. *Templa*: vox hæc per tria priora sècula haud usurpata reperitur; ea siqui-

dem adpellatione abstinnere veteres, propterea quod tunc temporis eo nomine nuncupabant loca cultui idolorum destinata. Superstitione prostrata, atque idolatria eversa, quum Templa in Ecclesias Christianas consecrari cœpissent, Patres Templi nomine deinde uti non dubitarunt. Sic Eusebius *Lib. X. cap. 4.* Ecclesiam in urbe Tyro à Paulino exstructam *Templum* nominat. (**). Ab hoc *Templi* nomine ad sæculum usque XIII. Patres nostri quasi dedita opera videntur abstinuisse. (*)

5. Aliquando *Prophetae*, *Apostolea*, et *Martyria* Ecclesiæ illæ dictæ sunt, quæ sepulcro, confessione, vel memoria alicujus *Prophetæ*, *Apostoli*, aut *Martyris* decoratæ essent. Sic in Concilio Constant. sub Menna *Action. III. Propheceum S. Jesaiæ* occurrit. Sozomenus *Lib. VIII. cap. 17.* Ecclesiam in honorem SS. Petri, et Pauli constructam *Apostoleum* cognominatam scribit. Demum vox *Martyrium* apud Ecclesiasticos Scriptores quam frequenter occurrit, Eusebium, Socratem, Augustinum &c.

ARTICULUS II.

DE NOMINE CAPELLÆ.

III. Quæ hactenus recensuimus præcipua sunt nomina, quibus veteres ad Sacras Aedes indicandas uti consueverunt. De nomine duntaxat *Capella*, vel *Capellæ* liceat hic pauca subnectere. De etymologia non constat, alius à *capiens populum*, aliis à *taberna*, aliis aliunde eam vocem deducentibus. Profectò Capellæ olim dictæ sunt conditoria, in quibus reliquiæ Sanctorum includebantur. Porrò hujusmodi conditoria, sive Capellæ, vel portatiles fuerunt, quarum præcipuus in castris usus ad rem divinam faciendam; vel fixæ, scilicet, quæ auctoritate Episcopi adhibitis Sanctorum reliquiis à potentioribus in suis prædiis ad rusticorum præsertim commodum construebantur; quique iisdem præfiebantur Sacerdotes Capellani dicti sunt. Capellæ quoque nomen Ecclesiis monachorum, et monialium tributum occurrit, quippe quæ eorundem usui duntaxat erant addictæ, quæque dein in amplissimas mutatae sunt Ecclesiæ.

ARTICULUS III.

DE ECCLESIA MATRICI, CATHEDRALI, COLLEGIATA, BAPTISMALI.

IV. *Matrices* antiquitus dictæ sunt Ecclesiæ Apostolicæ, tanquam fidei originales: Tertull. *De præscript. Cap. XXI.* Dein eo nomine Ecclesiæ Cathedrales designatæ sunt: Codex Africanus *Can. XXXVIII* et Ferrandus *Briiat. Canorum Can. XI.* Demum securis temporibus Matricis nomen majori Baptismali datum est, quasi ipsa alias baptismales sic dictas *filiales* veluti mater generasset: Clement. *I. de Sentent. Excommunic. Trident. Sess. XXI. Ref. cap. 7.*

V. *Cathedralis*, sive *Cathedra* adpellatione semper illam Ecclesiam veteres indigitarunt, quæ sedes erat Episcopi, et præcipua totius civitatis Parochia, (**) uti indicat præf. Syn. Tarragon. *Can. XIII.* (*) Antiquitùs in unaquaque civitate unica erat Ecclesia sicut *Cathedralis*, ita, et *Parochialis*: id quod de ipsa Urbe Roma sæculo IV. et V. observat Valesius in *notis ad Sozom.* *Lib. I. cap. 15.* quem morem nonnullæ Italiae civitates, licet ampliæ, adhuc retinent.

VI. *Collegiata* dicitur Ecclesia Canonorum, quæ Collegium quidem habet, sive Capitulum; haud verò Episcopum: Episcopo enim *e propinquuo* Ecclesia Ca-

DE REBUS ECCLESIASTICIS.

thedralis subest, qui plures suæ ditioni Collegiatas subjectas habere potest. Qui Collegiatæ *immediate* præst, plerumque *Præpositus* nuncupatur.

VII. *Baptismalis* est, quæ habet Baptisterium, quod olim, ut mox videbimus, nonnunquam extra Ecclesiam constructum erat. Jam verò cum Baptismali haud confundenda *Parochialis*, quæ non semper habet Baptisterium. Etenim interdum in honore Matricis præscribitur, ut novæ *Parochialis* Ecclesiæ incole bap-tismum nonnisi à Matrice recipient.

ARTICULUS IV.

ECCLESIA DIVINO CULTUI UNICE ADDICTA.

VIII. Ecclesiæ, sive loca divino cultui peragendo jam indè ab Apostolorum ævo addici cœpisse, tum ex modò producta Apostoli sententia *I. ad Corinth. XI. n. 22.* aliosque novi Testamenti locis constat, tum vel maximè ex antiquissimorum Patrum testimoniis Ignatii, Clementis Alex. Tertullian. &c. Speciminis loco sint S. Clemens Rom. qui *Ep. I. ad Corinth. n. 40.* de sacra Lyturgia hæc habet: *Statutis temporibus oblationes, et officia perfici, neque temere, et inordinate fieri præcepit, sed præfinitis temporibus, et horis, ubi etiam, et a quibus celebrari vult.* Pius I. *Ep. 2.* Pastorem Presbyterum eo nomine laudat, quod *Ecclesiam condidit.* Tertull. de Coron. Milit. cap. 3. Aliquanto prius in *Ecclesia sub Antistitis manu contestamur non renuntiare Diabolo.* Demum de *Gregorio Thaumaturgo* scribit *Gregorius Nyssenus in ejus rita*, ipsum diversas Ecclesiæ Neocæsareæ, et in adjacentibus Ponti partibus ædificasse. Porrò quæ sævientibus persecutionum fluctibus rariores, ac fortasse subrusticæ erant, redditæ post à Constantino M. Ecclesiæ pace, frequentiores, et magnificentiores esse cœperunt.

ARTICULUS V.

DE VARIA VETERUM ECCLESIARUM FORMA.

IX. Formam quod spectat, Ecclesiæ vel oblongæ erant, ac navi similes; Auctor Const. *Lib. II. cap. 57.* vel rotundæ, quemadmodum Ecclesia à Constantino M. in ipso Servatoris nostri sepulcro constructa: Eusebius *Vita Const. Lib. III. cap. 38.* vel ab octoedri formam, uti Ecclesia Nazianzi à S. Gregorii Nazianz. parente condita Nazianz. *Orat. XIX. de Laudibus Patris;* vel demum crucis instar, cuiusmodi Ecclesiæ Apostolorum fuisse Cpoli ab ipso Constantino M. ædificatam auctor est idem Nazianz. *Carmine IX.*

X. Neque situs idem omnium antiquitùs Ecclesiæ; at plerumque introitus Occidentem, Sanctuarium Orientem spectabat: Auctor Constit. *ibidem* quare de Ecclesia Antiochena scribit Socrates *Lib. V. Cap. 22.* *Inversus est Ecclesiæ situs: neque enim altare ad solis ortum spectat, sed ad occasum.* Idem de Ecclesiæ ab utroque Paulino Tyrio, et Nolano ædificatis etiam constat: Eusebius *Lib. X. cap. 4.* Paullinus *Epist. 12. ad Severum.* Quinimmo non desuisse Ecclesiæ, quæ nec Orientem, nec Occidentem spectaverint, colligitur ex Socrate *Lib. I. cap. 22.* et ex Walafrido Strabone *de Reb. Eccl. cap. 4.* *Cathedralis* Neap. antiquissimarum Ecclesiæ instar, est oblonga, navi similis, et ex parte Sanctuarii, quod Orientem versus spectat, formam crucis repræsentat. (**) *Cathedralis* Hispaniarum Ecclesiæ, ac reliquæ ferè omnes eandem servant configurationem. Primalis, præter alias, Ecclesiæ toletane *Capella Major*, seu *Sanctuarium Oriente* respicit. (*)

ARTICULUS VI.

DE PLURIEUS &QUE INTERIORIBUS, AC EXTERIORIBUS ECCLESIE PARTIBUS.

XI. Ecclesiæ antiquitùs, præsertim ampliores, pluribus constabant partibus aliis interioribus, exterioribus aliis. Interiores erant *Narthex*, *Navis*, et *Sanctuarium*. *Narthex* locus destinatus Energumenis, Audientibus, sive Pœnitentibus, sive Catechumenis; adhæc et *Judeis*, *Gentilibus*, *Hæreticis*, *Schismaticis*. *Nullus enim*, ut loquitur Synodus Carth. IV. Can. LXXIV. prohibeatur ingredi Ecclesiam, et audire verbum *Dei*, sive *gentilis*, sive *hæreticus*, sive *judaus* usque ad missam catechumenorum. Dicta est *Narthex*, quod figuræ esset oblongæ, et Græcis quævis hujusmodi figura *Narthex* dicebatur; quod latine *ferulam* significat.

XII. *Aedes*, sive *naxis* altera interior Ecclesiæ pars plerumque in quadrum constructa in duas partes dissecabatur in quarum priore, et humiliore stabant Pœnitentes dicti *prostrati*: altera verò superior, et nobilior plura distincta loca complebatur ex ordine Pœnitentibus, sic dictis *Consistentibus*, fidelibus communicantibus, virginibus, viduis, cantoribus, et lectoribus addicta. Veteribus Ambo appellata est ab *ascendere*; locus enim erat editus, ad quem per gradus ascendebatur.

XIII. Tertia demum, et sacratior Ecclesiæ pars erat *Sanctuarium* dictum quoque *Tribunal*, *Sanctum*, *Sacrarium*, *Locus Altaris*. Locus hic septis, sive cancellis à reliquo Ecclesiæ spatio separabatur. Suprema pars dicta *Apsis*. Episcopo, Presbyteris, et Diaconis duntaxat pervia, reliquis inaccessa. In ejus medio Altare dictum *Sanctum Sanctorum* situm erat, à cuius tergo Episcopi thronus, et Presbyterorum throni secundi, sive subsellia constituta erant.

XIV. Exteriora Ecclesiæ ædificia quod spectat præcipua erant, *Vestibulum*: Eusebio *Lib. III. de Vit. Constant.* cap. 39. et *Lib. X. cap. 4.* aliisque Græcis Scriptoribus dictum *Vestibulum magnum*, *Introitus primus*, ut illud ab aliis contiguis Ecclesiæ vestibulis, et à secundo introitu distinguerent. Plerumque splendidum erat ædificium, quod ab Ecclesia *Atrium*, sive *Implurium* separabat: locus scilicet apertus, et patens ex quatuor lateribus porticibus circumseptum, et in medio fontem habens in populi usum ad ablendum ex eo faciem, et manus: undè mos derivasse videtur aquæ lustralis, quæ ab Ecclesia peculiaribus quibusdam ritibus, ac precibus benedicta à fidelibus salubriter adhibetur.

XV. *Baptisterium*: ædificium satis amplum, et antiquitùs extra Ecclesiam constructum. Unde Paulinus Ep. 12. ad Severum: *Tu vero etiam Baptisterium basilicis duabus interpositum condidisti*. In duas partes dispescabatur, quarum prior dicebatur *vestibulum*, ubi fiebant à catechumenis abrenunciations: in altera autem, quæ *interior domus* dicebatur, ablutio, ac ritus ejusdem comites peragebantur.

XVI. *Secretarium*, sive *Diaconion*: locus, in quo sub Diaconorum cura vestimenta, vasa, instrumenta altaris, pretiosa quævis Ecclesiæ oblata donaria, aliaeque hujuscemodi ad Ecclesiam pertinentia reposita servabantur. Unde nonnunquam appellatus *cimeliarchion*, et *Scrophylacion*.

XVII. *Pastophoria*: horum meminit Auctor Constit. *Lib. II. cap. 57.* ex cuius narratione videntur suisæ ædificia ab utroque Ecclesiæ latere ad extremitatem orientalem constructa ad servandas post omnium communionem Eucharistie reliquias. Porrò pastophoria aliis quoque usibus suisæ addicta ex aliis monumentis

colligere licet: id quod in nostris *Antiquitatibus Christianis* excutiemus, ubi de variis Ecclesiæ partibus qua exterioribus, qua interioribus fusiùs, et exquisitiùs agemus.

XVIII. Ex nova disciplina plerumque Ecclesiæ duabus constant partibus interioribus: scilicet *Nave*, et *Sanctuario*, quod à *Nave* cancellis distinguitur, ac in tres partes dispescitur; *Presbyterium*, scilicet locum, ubi nonnisi Ecclesiæ ministris, dum Missæ Sacrificium celebratur, consistere licet; *Altare*, et *Chorum*, scilicet locum Presbyteris, aliisque Clericis divina officia peragentibus addictum. *Baptisterium* ut plurimum in ipsa nave Ecclesiæ situm est, et nonnisi in Ecclesiæ celebrioribus peculiare est ædificium cancellis munatum: uti in nostra *Cathedrali Neap.* Paucæ sunt Ecclesiæ quæ habent atrium, et plerumque vel omnino tectum, vel prorsus patens. Ecclesiæ *Cathedrales Capuana*, et *Salernitana* pulcherrimam habent aream, sive atrium patens, porticibus circumseptum, statuisse exornatum cum media amplissima fonte instar antiquæ modo descriptæ. Nulla est Ecclesia, quæ non habeat Diaconion, sive *Sacrarium*: nec desunt Ecclesiæ, quæ præter Diaconion habent quoque *cimeliarchion Tesoro*. Postremo Ecclesiæ maiores, præsertim *Cathedrales*, habent etiam adjecta ædificia ad Presbyterorum, aliorumque Clericorum ipsis inservientium usum.

(**) XIX. Ex Ecclesiæ Hispanæ disciplina, Templa ut plurimum tribus constant partibus *Sanctuario*, scilicet, *Nave*, et *Choro*. *Sanctuarium*, quod *Presbyterium* universim audit, est ea pars, *Ara Majori* proximior, paullulam supra commune solum erectior, et nonnunquam etiam cancellis septa, cui nonnisi Clericis Divina operaturis ingredi licet. *Nave* est ille amplior Ecclesiæ locus, fidelibus precaturis deputatus, qui inter *Chorum*, et *Sanctuarium* est medius. *Chorus* locus ille est, muris, aut cancellis circumseptus, in quo Clerici Divinas laudes cantaturi adstant. In Majoribus situs est in ipso Ecclesiæ piano, binis summum gradibus erectus; in minoribus verò erectior est, forniciis subinxus, ita ut ex interioribus ædificiis pateat ingressus. *Baptisterium* ut plurimum ad ipsos Ecclesiæ fores situm est, ferreis etiam cancellis munitum. Paucæ Ecclesiæ sunt, quæ atrium non habeant, ea præcipue, quæ Monasteriorum vestigia servant. Neque illa quoque est Ecclesia, quæ non habeat *Diaconum*, aut *Sacrarium*, seu vulgo sonat *Sacristia*, eamque quantum fas sit amplissimam, commodissimam, et pulcherrimè ornata. Postremo Majoribus Ecclesiæ ædificia adjacent, habendis *Capitulis*, et suppellectilibus custodiendis deputata, et in quibus inferiores Ecclesiæ ministri habitent. (*)

ARTICULUS VII.

DE ALTARI, EJUSQUE USU.

XX. Altaria divinis peragendis mysteriis instituta in Ecclesiis, vel in Oratoriis ab Episcopo designatis, et visitandis, haud verò alibi erigenda sunt: Trident. Sess. XXII. *Decret. de Observand. et evitand. in celebr. Missæ*. Quo decreto tum privilegium, quo nonnulli Regulares fruebantur, abrogatum est; utendi scilicet altari portatili: tum Episcopis facultas ademta est veniam impertiendi, ut in domibus privatis Missa celebretur, tametsi in illis Oratoria divino cultui destinata exstructa sint: Fagnanus ad Cap. In his de *Privilegiis*. Veruntamen integra Episcopis prærogativa servata est habendi privatum Oratorium in propriis ædibus suæ Dioecesos: *Can. XXX. de Consecratione Dist. I.* adhæc et utendi altari portatili, ubi extra Dioecesim degere contigerit: *Cap. fin. de Privilegiis in VI.* Ve-

rūm decreto Clementis XI. edito die 15. Decembr. an. 1713. vetantur Episcopi, aliqui Prælati, etiamsi Cardinalatus dignitate præfulgeant, in domibus laicis, si-
ve propriæ, sive alienæ Diocesos erigere altare, ibique sacrosanctum Missæ Sa-
crificium celebrare, vel mandare, ut celebretur.

ARTICULUS VIII.

DE ECCLESIS EDIFICANDIS.

XXI. Ecclesiæ, sive Oratoria sine Episcopi auctoritate construere semper in Ecclesia vetitum: Concil. Chalced. *Can. IV.* (**) et Syn. Tolet. *III. Can. XV.* ac Hispal. an. 1512. *Cap. XLVII.* (*) Tum Justinianus Novell. *LXVII. cap. 1.* sanxit, nemini licere Ecclesiæ, aut Oratorium ædificare, antequam Episcopus orationem in loco faciat, et crucem figat; id quod in Synodis Ecclesiasticis dein firmatum fuit. (**) In Hispania præter Episcopi licentiam, Regis etiam necessaria est. Vide Ramos del Manzano ad *Leg. Julianam*, et *Pap. Lib. III. Cap. XLIV.* a num. 10. (*) (1)

XXII. Ecclesiæ passim, et sine delectu ædificandæ non sunt: unde Justinianus *ibid.* addit: *processum illud faciens, et causam manifestam omnibus statuens:* præstat enim veteres collapsas restaurare, quam novas construere.

ARTICULUS IX.

DE NOVARUM ECCLESIARUM ERECTIONE.

XXIII. Porrò legitimæ non desunt causæ novas ergendi Ecclesiæ: præcipue sunt 1. Populi incrementum: ubi enim fidelium multitudo ita excrevit, ut vetus Parochialis populi frequentiæ satis non sit, tunc in subsidium novam construi utilitatis ratio suadet. Jam verò ex Trid. *Sess. XXI. Ref. cap. 4.* populi incrementum satis causæ non est, cur nova erigatur Parochia, sed potius Rectores cogendi sunt, aliive ad quos attinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficient ad Sacraenta exhibenda, et divinum cultum præstandum.

2. Si fideles sine imminenti periculo in unum convenire nequeant, unde leprosis, aliisque contagioso morbo laborantibus merito nova eorum usui addicta constuetur Ecclesia, ne ex ipsorum contactu reliqui fideles inficiantur: *Cap. 2. de Eccles. edificand. et reparand.*

3. Episcopis indultum est pro paranda sibi sepultura Ecclesiæ ædificare, eidemque ex propriæ Ecclesiæ redditibus dotem adsignare: *Cap. 9. de Donationibus*, et *Can. LXIV. Causs. 12. Quæst. II.* (**) ex Synod. Tolet. *IX. Can. V.* de-
promptus. (*)

4. Novi Monasterii constructio: Monachi enim pene ab ipsa monasticæ vitæ institutione prærogativa fruuntur propriam Ecclesiæ habendi Episcopi auctoritate erectam: Concil. Chalced. *Can. IV.*

5. Demum et potissima, ac magis frequens causa est locorum distantia, et diffi-
cultas: unde *Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacraenta, et*
Divina Officia audienda accedere non possint: Trident. Sess. XXI. Reform. cap.
4. (**) et Synod. Valent. an. 1565. *Sess. IV. Tit. III. cap. 14.* alias 17. (*) Igitur
ubi ejusmodi sit distantia, et viarum discrimin, ut propterea Parochianis sine mag-

(1) *LL. I, 2, et 6, tit. 10 Part. 1.*

no incommodo non pateat ad Ecclesiæ majorem accessus, id satis erit causæ, cur nova excitetur Parochia: *Cap. 3. hoc tit.*

XXIV. Verum in nova hac erectione plura cautè servanda sunt: 1. Rector ve-
teris Ecclesiæ, aliqui, quorum interest, omnino audiendi sunt: porrò si iniquè re-
nuant poterit Episcopus, ipsis etiam invitis, ad novam progredi erectionem.

2. Sacerdotibus novæ Parochiæ præficiendis congrua Episcopi arbitrio adsig-
nanda est portio ex fructibus ad Ecclesiæ matricem quodammodo pertinentibus:
(**) *Syn. Bracar. II. Can. VI.* (*) adhaec fideles, qui ad novam spectabunt Pa-
rochiam, eidem decimas, oblationes, aliaque jura præstare æquum omnino est.

3. Peculiares etiam reditus novæ Parochiæ addicendi sunt pro sacris indumen-
tis, luminaribus, alioque Ecclesiæ ornatu: *Cap. 8. de Consecrat. Eccles. vel Altar.*
Can. IX. de Consecrat. Dist. I. (**) et in Collect. Jo. Teres. *de Eccles. et Capell.*
Lib. III. Tit. VI. cap. unic. (*)

4. Matrici Ecclesiæ à filiali conveniens pro loci facultate servandus est honor;
scilicet aliquid annuatim in signum subjectionis præstetur Episcopi judicio consti-
tuendum.

5. Episcopi Diocesani consensus exquirendus: *Can. XLIV. Causs. 16. Q. I.*
et *Can. IX. de Consecrat. Dist. I.* Episcopi enim jus est crucem in loco, in quo
futurum est altare majus, defigere, atrium designare, aliaque à Rituali Romano
præscripta exequi. (**) Idem *Can. IX.* et *Syn. Tolet. an. 1323. Cap. XVII.* (*)

6. Demum cavendum Episcopis est, ne nova Ecclesia quæstus causa ædifice-
tur: unde *Synodi Brac. II. Can. VI.* sancitur: *Nullus Episcoporum.... Basili-
cam, quæ non pro Sanctorum patrocinio, sed magistratularia conditione est con-
dita, audeat consecrare.*

ARTICULUS X.

DE REPARANDIS ECCLESIIS.

XXV. Jam indè ab VI. sèculo viguit consuetudo, ut certa redditum Eccle-
siasticorum portio, et quidem tertia, aut quarta pro vario diversarum Ecclesiæ
more Ecclesiæ fabricæ reservetur. Hoc juris Augustino Angliae Episcopo præ-
scripsit S. Gregorius M. *Can. XXX. Causs. 12. Q. II.* idem quoque constituunt
alii *Canones ibid.* à Gratiano relati. Eamdem Ecclesiæ præcipue Hispanien-
sium fuisse disciplinam, et quidem *ex antiqua traditione* evincitur ex *Conc.*
Tarragon. Can. VIII. (**) in quo tertia oblationum pars pro luminariis, ceterisque
Ecclesiæ impensis constituta est. Cui consonat Bracar. I. *Cap. VII.* alias *Can.*
XXIV. Tolet. IV. Can. XXXIII. alias *XXXIV. Brac. II. Can. II. Emerit. Can.*
XVI. et *Tolet. XVI. Can. V.* cuius quidem tertiae partis ministratio ad Episco-
pum præcipue spectabat: *Syn. Tarrac. Can. VIII.* (*)

XXVI. Porrò secutis temporibus illud juris hac in re servatum est: 1. Ut Be-
neficiarii ad Ecclesiæ, in qua beneficium possident, instaurandam cogantur, nisi
Ecclesia suos pro fabrica peculiares reditus habeat: *Cap. 1. et 4. hoc tit.* 2. Ad
necessariam Ecclesiæ Cathedralis reparationem quilibet Canonicus symbolam
conferre tenet, si id Prælatus cum majori parte Capituli constituerit: *Cap. fin.*
de Iis, quæ fuit a majori parte Capituli. 3. Ex decimis quoque, aliisque oblationi-
bus certa pro Ecclesiæ instauratione deducenda est portio: *Can. II. et III.*
Causs. 10. Q. III. 4. Eidem quoque oneri obnoxii sunt, qui jus percipiendi deci-
mas habent, licet beneficiarii non sint: *eodem Can. II. 5.* Demum ex Concilii Tri-
dentini præscripto *Sess. XXI. Ref. cap. 7.* Patroni, qui fructus ex Ecclesiæ pro-

venientes percipiunt, et in eorum defectum etiam Parochiani ad Ecclesiæ Parochialis instauracionem cogi poterunt: æquum enim est, ut qui alimenta spiritualia in ea percipiunt, eidem instaurandæ symbolam conferant. Verùm hac in re, ut alibi notavimus, regius adsensus requiritur. (***) Videsis Lib. III. Tit. VI. (*)

CAPUT DUODECIMUM.

DE CONSECRATIONE ECCLESiarum.

I. In Ecclesia jam constructa, ac dotata sacra celebrare vetitum est, nisi prius consecratio peragatur, quæ vulgo *Dedicatio* dicitur: porrò differt à Consecratione *Dedicatio*; ut enim eruditè observat Cl. Mazochius in *Dedicat. sub Ascia n. 27. et 34. dedicare* tantundem est, quod posterior ætas *encæniare* dixit: *August. in Jo. cap. 48. Regni Neap. idiomate ingegnare*, (***) Hispani autem *estrenar*. (*) At Consecratio potius ad ceremonias pertinet, quibus Tempa consecrantur. Verùm quia utrumque conjunctim perficitur, inde factum est, ut utraque vocabula pro miscuè adhibeantur.

II. Ecclesias jam inde ab IV. sæculo consecrari consuevisse, patet ex Eusebio Lib. X. cap. 3. et ex Athanasio Apol. II. ad Constantium. Verumtamen ritus non semper iidem fuere. Ex IV. et V. sæculi disciplina vicini Episcopi ad ejusmodi solemnitatem evocati sunt. Quinimmo et hac occasione nonnunquam Synodi celebratæ; ut *Antiochena* an. 341. quæ propterea Synodus in *Encæniis* dicta: tum ab Episcopis, Clero, et populo pro suo quisque munere preces fusæ, Sermones habiti, qua theologici, qua biblii, qua panegyrici, ac demum ineruentis sacrificii, mysticis oblationibus, hymnis, aliisque operibus summa cum hilaritate Dedicationis solemnitas celebrata: Eusebius Lib. IV. de Vit. Const. cap. 45. (***) Sic vocati ab Alfonso Magno Episcopi, Oscensis, Legionensis, Asturicensis, Salmaticensis, Cauriensis, Conimbricensis, Lamecensis, Vesensis, Portucalensis, Bracarensis, Tudsensis, Auriensis, Iriensis, Luccensis, Britoniensis, Cæsaraugustanus, Ovetensem Ecclesiam cum illius Urbis Episcopo sollempni pompa, et Evangelica habita concione, consecrarunt die 24. Junii an. circuit. 873. cui Rex ipse una cum præcipuis Regni Proceribus, et catholica plebe interfuerunt; ac sanctum celebratum est Concilium, in quo inter alia illud maxime constitutum est, ut Ecclesia Ovetensis Metropolis haberetur. Videsis Aguirre *Concil. Tom. IV. pag. 356.* Plures dein Episcoporum conventus habiti sunt Ecclesiarum consecrationis causa, videlicet, Rotensis an. 1022. Pampilonensis an. 1023. Rivipollensis an. 1032. Gerundensis an. 1038. Urgellensis an. 1040. Barcinonensis an. 1058. Helenensis an. 1058. Ne plures. (*) Martyrum quoque reliquiæ, ritu saltem Romano, fuisse adhibitas, patet ex Ambrosio Ep. 54. et ex Paullino Ep. 12.

III. Ritus jure novo servandi prostant in Pontificali Rom. ex eius præscripto præcedit jejuniū, et vesperæ coram reliquiis subtus altare collocandis canendæ: dein mane Episcopus ter ipsam Ecclesiam exterius circumit, et aqua benedicta adsperrit, tum Ecclesiam ingreditur, delineato (**) cum extremitate Baculi in Crucis formam (*) duplice græco, ac latino in ipso (**) cinere consperso (*) templi pavimento Alphabeto, ac una quidem in porta, duodecim verò in interioribus parietibus signatis crucibus, iisdemque sacro chrismate linitis, psalmis, hymnis, precibus, aliisque ritibus, Ecclesiam consecrat; tandem Missam celebrat, quæ tam Consecrationi *essentialis* non est. (**) Dies Dominica uti consecrationi propria, adsignatur à Syn. Cæsaraugust. III. Can. I. eo quod eodem ipso die Cleri-

corum inaugurationes fieri consueverint; at Innocentius III. Cap. 2. de *Consecr. Eccles. &c.* quibuslibet anni diebus eam fieri permisit. (*) (1)

IV. Jam verò et Altaria peculiaribus consecranda sunt ritibus, quos vide in Pontif. Rom. *ibid.* Illud hic duntaxat observandum, quòd si plura in una Ecclesia fuerint Altaria, non omnia consecrari oportet, sed tantum majus.

V. Conferenti cœremonias consecrationis Ecclesiæ cum ritibus baptismi patet illas his respondere; qua de re dedicatio templi materialis spiritualem animæ in baptismo consecrationem representat. Quinimmo uti Baptismum, ita et Ecclesiæ consecrationem iteratæ vetitum omnino est: *Can. XX. de Consecr. Dist. I.* Adhæc Ecclesiæ, et Altaris consecratio ordini Episcopali ita est addicta, ut simplici Presbytero committi minimè queat: (**) *Syn. Brac. I. Cap. XIX.* alias *Can. XXXVI.* quin et Patres Synodi Hispal. II. *Can VII.* acriter in Agapium Cordubensem invehuntur, eo quòd Presbyteros ad consecrandas Basilicas frequenter destinasset, eumque licet *venerandissimum*, tamen *Virum Ecclesiasticis disciplinis ignarum* adpellant. (*)

VI. Quamobrem ubi contingat Ecclesiam pollui per sanguinis, aut seminis humani effusionem, aut per sepulturam pagani, vel excommunicati, tum satis erit illam expiari, sive reconciliari, cadaver effodiendo, eandemque aqua benedicta adsperrando: id quod ab Episcopo omnino præstandum. Porrò quum Ecclesiæ sæpius polluerentur, ac difficile esset easdem per Episcopos reconciliari, præser-tim in Dicecesibus nimis amplis; hinc mos inductus est, ipsas non consecrari, sed tantum benedici per adspersionem aquæ exorcizatæ, scilicet, ut dein pollutæ possent per simplicem Sacerdotem jussu Episcopi expiari: *Cap. fin. hoc Tit.* Postremo quod ad Altare attinet, licet et illud possit non consecrari, ejus tamen tabella saltem consecrata sit oportet: *Canone XXX. de Consecrat. Dist. I.* (2)

CAPUT DECIMUS TERTIUS.

DE PRÆCIPUIS QUIBUSDAM ECCLESiarum PRÆROGATIVIS, AC SPECIATIM DE JURE ASYLI.

I. Ecclesiæ quippe divino cultui consecratæ ita instructæ, ac ordinatæ sint oportet, ut omnia ad pietatem, et sanctitatem excitent. Et sanè ea semper viguit disciplina, ut Ecclesiæ nonnisi ad divina mysteria celebranda, ad Lyturgiam per agendum, ad Episcopos, Clericosque ad Ordines promovendos, ad Synodos, Cathecheses, aliasve de rebus sacris conciones ad fideles habendas, aliaque id genus præstanta adhiberentur. Ipsæ Agapæ, quæ Apostolici erant instituti, quòd in intemperantiam degenerassent, vetitæ, aut certe imminutæ fuerunt: *Conc. Laodic. Can. XXVIII.* Tum in Ecclesiis vigilando, et precando pernoctare viris quidem permisum, haud verò sœminis, eo quod sepe sub obtentu orationis sclera latenter committant. *Conc. Illiberit. Canone XXXV.*

II. Quinimmo veteres tanto ipsas *materiales* Ecclesias honore prosequebantur, ut 1. Episcopi aliquando potius mori, quam illas hereticis profanandas tradere voluerint: Ambrosius Ep. 33. al. *Lib. II. epist. 14.*

2. Tum Principes, Reges, atque ipsi Imperatores domum Dei ingressuri non

(1) *L. 12, 13, 14 et 15, tit. 10, part. 1.*

(2) *L. 19 ips. tit. et part.*